

manere non possunt, quoniam cum fiunt prætereunt, reatus tamen manet, et nisi remittatur, in æternum manebit... Nam si quisquam v. g. fecerit adulterium, etiamsi nunquam deinceps faciat, reus est adulterii, donec reatus ipsius indulgentia remittatur. Sed reatus adulterii est reatus, quo ipsum adulterium hominem facit reum; ergo.

R. D. M. Comparat reatum concupiscentiæ cum reatu adulterii quoad omnia N. quoad aliqua C. In eo autem stat *paritas*, quod sicut separatur reatus adulterii ab adulterio, sic a concupiscentia ejus reatus separatur. Sicut autem distinguit rationem *adulterii* a ratione *concupiscentiæ*, dum loco cit. c. 7. et 8. concupiscentiam dicit esse similem manenti qualitati et habitui, dissimilem vero adulterio, sacrilegio et actui: sic etiam reatum utrumque ex proxime dictis multum discernit.

Inst. 4. Concupiscentia hoc ipso, quod homini inest, constituit illum reum, ut patet ex S. Aug. L. de pecc. orig. c. 39. *Obsesset ista carnis concupiscentia, etiam tantummodo quod inesset, nisi peccatorum remissio sic prodesset... Manet quippe in prole, ita ut reatum faciat originale vitium; ergo concupiscentia per se et ratione sui est peccatum formale.*

R. D. A. Concupiscentia nude sumpta hoc ipso, quod homini inest, constituit illum reum N. sumpta cum reatu culpæ, seu totum illud, quod juxta S. Aug. constituit peccatum originale integre et adæquate sumptum C. Atque de hac concupiscentia intelligendus est S. Doctor, dum concupiscentiam vocat *tale ac tam magnum malum*.

Sensus autem posterioris textus est, ut ex integri loci lectione elucescit, concupiscentiam eo ipso, quod inest, obfuturam et parentibus et infantibus, nisi renascantur per gratiam in baptismo acceptam. *Parentibus* quidem, quia, quamvis per baptismum non desinat concupiscentia, nec nisi, quando hæc vita cum immortalitate commutabitur, desitura sit; tamen per baptismum obtinentur auxilia illi annexa, quibus resistere valemus concupiscentiæ motibus ad peccandum sollicitantibus: *Infantibus* vero, etiamsi ex parentibus renatis nascantur; quia hoc non obstante in prole manet concupiscentia et simul reatus culpæ originalis per originis vitium inductus.

QUÆRES: Quid reatus nomine intelligat S. Augustinus, cum originale peccatum asserit reatum concupiscentiæ?

94. R. Intelligit ipsum *peccatum habituale*, quo homo maculatus manet, et reus non tantum pœnæ, sed peccati est: sive non intelligit solum reatum pœnæ seu obligationem ad pœnam subeundam, sed reatum culpæ seu obligationem ad odium Dei sustinendum.

Constat 1<sup>o</sup>. Ex L. 1. de Nupt. et Conc. c. 26. ubi cum remanentis concupiscentiæ reatum ablatum esse dixisset, adjicit: *Hoc est enim non habere peccatum, reum non esse peccati*. Quod confirmatur ex eo, quo ibidem pergens utitur, exemplo, ut probet concupiscentiæ reatum auferri: *Nam, inquit, si quisquam verbi gratia fecerit adulterium, etiamsi nunquam deinceps faciat, reus est adulterii, donec reatus ipsius indulgentia remittatur. Habet ergo peccatum, quamvis illud, quod amisit, jam non sit, quia cum tempore, quo factum est, præterit*. Hic non de reatu pœnæ, sed culpæ sermonem esse, ipsa verba luculente clamant.

2<sup>o</sup>. Ex L. 1. Retract. c. 15. n. 2. *Quasi vero peccatum quod eos ex Adam dicimus originaliter trahere, id est, reatu ejus implicatos, et ob hoc pœnæ obnoxios detineri, usquam esse potuit nisi in voluntate, qua voluntate commissum est, quando divini præcepti est facta transgressio*. His verbis reatus culpæ a reatu pœnæ evidentissime distinguitur, ita ut prior posterioris radix dicatur: *Reatu peccati implicatos, et ob hoc pœnæ obnoxios*. Quod contra hoc asseritum difficultatem facere posset, testimonium S. Aug. L. 6. contr. Julian. c. 19., relatum jam et explicatum est num. 93.

## ARTICULUS II.

## QUOMODO IN ADAMO PECCAVERINT EJUS POSTERI?

95. *Nota I.* Triplex circa hanc quæstionem sententia habetur. 1<sup>a</sup>. Est eorum, qui in posteris Adami admittunt *voluntatem interpretativam*, vi cuius hi censentur vel censi possunt causam suam sive ad bonum sive ad malum agendam Adamo commisisse; sic, ut si tunc extitissent, omnes in Adamum fuissent compromissuri, aut, ut Adamus, legem divinam transgressuri.

2<sup>a</sup>. Est communior *Recentiorum*, qui volunt posterorum voluntates moraliter fuisse translatas in voluntatem Adami per *pactum* initum, quatenus Deus Adamum caput posterorum morale instituit, ita, ut velut omnium nomine præceptum Dei servaret vel pro libitu violaret, et eo quidem in justitia et obedientia persistente, ejus posteri gratiam et justitiam originalem obtinerent, eo autem peccante, posteri peccato inficerentur, fierentque inimici ac invidi Deo.

3<sup>a</sup>. Est *Jansenii* L. 1. de statu nat. c. 6. et 24. aliorumque, qui negant quodcumque pactum, quo Adamus tanquam caput morale posterorum sit constitutus, voluntque posteros in Adamo præcise tanquam *capite* eorum *naturali* peccasse, in quantum nempe hi omnes seminaliter, ut aiunt, contenti sunt in Adamo.

96. *Nota II.* Patroni secundæ sententiæ inter pactum formale et virtuale distinguunt. *Formale* in hoc casu dicitur conventio expressa de voluntate et fortuna posterorum in voluntatem proto-parentis transferenda Deum inter et Adamum ex libero utriusque consensu inita. Quamvis vero in Scripturis sæpe mentio fiat de pactis a Deo cum homine initis, nullaque in ejusmodi peccato formali inconvenientia relucent, facile tamen concedunt sufficisse virtuale. Dicitur autem hic pactum *virtuale* esse ordinatio divina, qua Deus efficaciter decrevit, ut Adamus, in ordine ad observationem vel violationem mandati de non comedendo fructu, tanquam caput morale repræsenteret posteros, ea ratione, ut quod ipse faceret, censerentur etiam moraliter et imputabiliter ad culpam vel meritum fecisse posteri.

De eodem porro observant, non quidem absolute fuisse necessarium, ut hæc Dei constitutio Adamo innotesceret; cum Adamus potuerit esse persona publica et omnium voluntates in se quodammodo collatas tenere, licet ipse id nesciverit; sicut *Respublica* potest jus suum conferre in aliquem et velle ratum esse, quod is statuerit, et bini exercitus duorum armis a se delectorum de summa rei decernere, quamvis hi ignorent se hac conditione decer-

tare, et ille nesciat Reipublicæ compromissum : re ipsa tamen hoc *virtuale pactum* Adamo innotuisse existimant; tum quia suavi Dei providentiæ et benignitati id videtur magis consentaneum, ut scilicet Adamus in re tam gravi de suo et totius posteritatis statu consultius decerneret, et a peccando magis averteretur; tum quia rectus regiminis ordo postulat, ut in negotiis gravissimi momenti officium suum ac debitum intelligant, qui omnium personam ac sortem gerunt.

97. *Dico I.* Posterius non peccarunt in Adamo per hoc, quod habuerint *consensum interpretativum*.

*Prob.* Gratis omnino confingitur hæc interpretativa voluntas; tum quia, licet Deus sciverit, quid omnes Adæ posterius essent facturi aut volituri, tamen non constat, nec probabile est, quod viderit omnes approbaturus factum Adami, aut libere etiam consensuros in pactum cum illo initum; præsertim cum in præsens non desint, qui contrarium mallent: tum quia hæc est differentia inter bonum et malum, quod quilibet quidem jure præsumatur consensurus in id quod sibi bonum est, in malum autem non ita.

*Conf.* Deus non imputat ad culpam vel pœnam id, quod aliquis tantum vellet, sed re ipsa non vult; unde a S. AUG. ep. 103. (al. 194. n. 35.) et L. de prædest. SS. c. 12. n. 24. erroris damnantur, qui asserebant parvulos rapi ante baptismum, quia, si viverent, erant peccaturi. Ergo nec ideo peccasse in Adamo dicendi sunt posterius, quod, si tunc extitissent, in vel cum eo peccassent.

98. *Dico II.* Posterius non peccarunt in Adamo per hoc præcise, quod is erat eorum *caput naturale*.

*Prob.* Quamvis pater cujuscumque familiæ sit caput naturale suæ posteritatis, eamque contineat in lumbis suis, tamen ejus posterius non tribuitur peccatum parentis, ut patet ex Ezech. 18. Ergo idem a pari dicendum de peccato Adami.

*Conf. 1.* Etiam in lumbis Adami continebantur posterius, quando *alia peccata* commisit, si quæ commisit; imo, quando *pœnitentiam* egit: nec tamen propterea aut alia illius peccata, aut ejusdem etiam pœnitentia nobis imputabatur; præsertim cum persona et natura maculata uno peccato, possit adhuc magis maculari alio; neque ex ipsa natura habeatur, quod peccatum potius imputetur posterius, quam pœnitentia ejusdem peccati.

*Conf. 2.* Licet Adam fuerit caput naturale ad transfundendam naturam in posterius, tamen absque pacto virtuali et ordinatione divina *justitiam originalem* non potuisset transfundere; ergo nec potuit Adamus præcise qua caput naturale absque virtuali pacto transfundere injustitiam originariam in posterius.

99. *Dico III.* Posterius peccarunt in Adamo per hoc, quod is per *pactum virtuale* a Deo erat institutus caput morale eorum de hoc, ut, quod ipse in ordine ad observationem vel violationem mandati de non comédendo fructu faceret, censerentur posterius etiam moraliter et imputabiliter facere. *Ratio* est, quia, quamvis hæc explicatio non omnem difficultatis nodum resacet, tamen 1º. melius declarat peccatum omnium nostrum in Adamo: 2º. nihil

impossibile aut inconveniens continet: 3º. in Scriptura et Patribus fundamentum habet.

*Prob. 1ª. pars.* Tum ex oppositione ad sententiam proxime rejectam, a qua ratio *voluntarii* in peccato originali nullatenus explicatur: tum ex oppositione ad illam, quæ quidem ordinationem Dei intervenisse concedit, negat tamen vi hujus factam esse *moralem* voluntatum translationem; sine qua tamen intelligi non potest, quomodo transgressio præcepti potuerit juste posterius imputari.

*Prob. 2ª. pars.* Sicut Respublica *pupillorum* voluntates in ordine ad aliquos effectus morales in voluntate tutorum potest includere: sic Deus potuit posterorum voluntatem voluntati Adami alligare relative ad observationem vel transgressionem præcepti, unde penderet vel amissio, vel conservatio justitiæ originalis; quæ enim in hoc implicantiã major præ illo? Præterea cum Magistratus civilis non habeat majorem potestatem in *civiles* subditorum actiones, quam Deus tanquam Dominus absolutissimus in actiones hominum *morales*; profecto, si illa circa pupillum dispositio æquitati nullatenus repugnat, hæc etiam Dei ordinatio tanquam æquissima æstimanda est.

Denique constitutio eadem, præscindendo ab eventu, erat nobis plurimum optabilis; eo quod probabilissima spes affulgebat, Adamum tot gratis instructum, Dei etiam, sui ac suorum amantissimum in re tantilla Deo potius obtemperaturum: in hypothesi autem peccati etiam prævisi multum nihilominus Deus nobis favit, præparando Redemptorem, quem forte denegasset Adami posterius, qui in acceptata ab eo justitia originali non perseverassent.

*Prob. 3ª. pars.* Fundamentum ex *Scriptura et Patribus* ostendunt omnes illi textus, qui probant peccasse posterius Adæ; cum vere et proprie dictum peccatum esse nequeat sine voluntario, voluntarium autem explicari nequeat sine pacto. Specialiter tamen

S. AUG. L. 16. de Civ. Dei c. 27. apertam pacti mentionem facit, dum in illud Genes. 17. *Delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit*, ita scribit: *Parvuli, non secundum suæ vitæ proprietatem, sed secundum communem generis humani originem, omnes in illo uno testamento Dei dissipaverunt, in quo omnes peccaverunt. Multa quippe appellantur testamenta Dei, exceptis illis duobus magnis vetere et novo, quod licet cuique legendo cognoscere. Testamentum autem primum, quod factum est ad hominem primum, profecto illud est: Qua die ederitis, morte moriemini. Eiusdem meminit*

S. HIERON. in c. 6. Osee circa illa verba: *Ipsi sicut Adam transgressi sunt, pactum ibi prævaricati sunt in me*. Sic enim Deum loquentem inducit paraphrasticè: *Ipsi autem imitati sunt Adam, ut quod ille in paradiso fecerat, pactum meum legemque præteriens, isti in terra facerent. Et ibi, hoc est, in paradiso, omnes prævaricati sunt in me, in similitudinem prævaricationis Adam. Non enim mirum, si quod in parente præcessit, etiam in filiis condemnetur. Quibus verbis non affirmat solum, Adæ posterius imitari parentem, ut Pelagiani volebant; sed in ipso etiam Adamo, et similiter, hoc est, pariter cum ipso in paradiso fuisse prævaricatos, moraliter scilicet faciendū quod ille omnium personam sustinens faciebat: atque ideo propter illud peccatum merito condemnari. Simili ratione*

S. CHRYSOST. verba ep. ad Coloss. c. 2. v. 14. : *Delens, quod adversus nos erat chirographum decreti*, homil. 6. n. 3. in eamd. ep. commentatur : *Quodnam chirographum auctor intelligit? Quod ad Moysen dixerant: quaecumque dixit Deus, faciemus... aut id, quod fecerat ad Adam, dicens: quaecumque die comederis ex hoc ligno, morte morieris.* Similia dicunt, et eodem sensu locum illum, teste Martinon, interpretantur de pacto cum Adamo inito AMBROS. et THEOPHYL. in ep. ad Coloss., RUPERTUS. L. 5. in Genes. c. 33. et alii.

Præterea S. AUG. illud pactum insinuat in libris contra Pelag., ut dum L. 2. de Nupt. et Concup. c. 41. meminit violati testamenti: dum L. 1. cont. Julian. c. 6. n. 26. peccatum originale vocat debitum paterni chirographi, et ex S. CHRYSOSTOMO dicit, Christum invenisse chirographum paternum. Idem repetit L. 6. c. 19. n. 6. alibique, ubi nomine chirographi pactum indicat. Unde falsum ostenditur, quod Jansen. l. c. c. 5. et 15. dixit, neque AUGUSTINUM neque ullum alium sanctorum Patrum aut veterum Scriptorum ante Doctores Scholasticos mentionem fecisse pacti, sive constitutionis, ad quam recurrunt Theologi, cum assignant causam transfusionis peccati originalis.

100. *Obj. I.* Ut Deus constitueret Adamum caput morale, transferendo in ipsum voluntates posterorum, debuit id facere vi sui supremi dominii. Sed Deus non potuit in paradiso dominium exercere in nostras voluntates, utpote non existentes; ergo. *Conf. 1.* Deus ratione *supremi dominii* potest quidem facere, ut ego libere velim; nequit tamen, imo impossibile est, ut illud, quod Deus vult, mihi sit voluntarium absque mea voluntate. Sed illa transfusio fuisset facta et volita a Deo absque mea voluntate; ergo. *Conf. 2.* Ut mihi aliquis actus sit voluntarius et imputabilis ratione *transfusionis voluntatis*, debet illa transfusio a me esse volita non quomodocumque, sed ut causa talis actus. Sic vero non est volita a nobis illa transfusio; ergo.

R. *N. min. vel D.* Non extiterunt physice et in seipsis *C.* non extiterunt moraliter et in sua causa, Dei scilicet omnipotentia *N.*

*Ad Conf. 1<sup>am</sup>. D. M.* Impossibile est, ut illud, quod Deus vult, mihi sit voluntarium physice et elicitive absque mea voluntate seu ejus actione *C.* ut mihi voluntarium sit moraliter et denominative *N.* Posterioris voluntarii species non tantum sunt voluntarium *presumptum* et *interpretativum*, sed etiam *imputativum*, quod per ordinationem Magistratus habetur in pupillis et amentibus, quibus actiones tutorum ita ad quosdam effectus morales imputantur, ac si ipsi easdem possuissent.

*Ad Conf. 2<sup>am</sup>. D. M.* Ut mihi actus sit voluntarius physice et elicitive, debet etc. *C.* ut sit voluntarius moraliter et denominative *subd.* debet voluntatis transfusio a me esse volita, si facta sit per pactum formale et per mutuum Dei et creaturarum consensum *C.* si facta sit per pactum virtuale et per Dei duntaxat ordinationem *N.*

*Inst. 1.* Respublica non potest pro libitu transferre subditorum voluntates; ergo nec Deus voluntates hominum.

R. *D. A.* Respublica hoc non potest quoad actiones morales, seu imputabiles ad meritum vel demeritum *C.* quoad actiones politicas *subd.* si translatio ejusmodi non sit conveniens, nec per se, et præscindendo ab eventu, optabilis *C.* secus *N.* Præterea *disparitas* est, quod Deus longe majus dominium habeat in creaturas, quam Magistratus in subditos; Magistratui enim Deus

non concessit potestatem, nisi necessariam ad gubernationem subditorum in ipsorum bonum: ad hanc autem non requiritur potestas transferendi voluntates in ordine ad actiones quascumque. Adde, a nobis proprie non institui paritatem, recte tamen inferri, quod multo magis Deus ex suprema potestate, quam habet etiam in homines quoad effectus proprie morales, possit voluntatem unius alligare alterius voluntati.

*Inst. 2.* Transfusio illa voluntatum facta est a Deo dependenter a *scientia media* de futura transgressione Adam; ergo non fuit nobis optabilis, nec Deo conveniens, utpote qui sic evasisset causa peccati.

R. 1<sup>o</sup>. *N. A.* Quia *scientia media* nec erat necessaria ad faciendam hanc alligationem, nec etiam dirigebat Deum in alligando; cum non minus id fecisset, si prævidisset Adamum præcepto obtemperaturum, ac nunc cum diversa prævisione præstitit.

R. 2<sup>o</sup>. *N. 1<sup>am</sup>. Cons.* Quamvis enim, ut res dicatur optabilis vel non optabilis, debeat considerari præscindendo ab eventu et eventum consequente *scientia media*; falsum tamen est, nihil per se esse optabile, quò nos male usuros Deus prævidit: alias enim nec Redemptio humani generis esset universaliter optabilis, quia et hæc multis cedit in majorem perniciem, juxta illud Luc. 2. v. 34. *Positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum.* Deinde etiam *N. 2<sup>am</sup>. Cons.* Quia hæc alligatio per se et determinate non intulit peccatum, sed tantum constituit actum primum indifferentem, sicut porrectio gladii non trahit post se suum, sed est indifferens ad profligandum hostem, vel ad abutendum eo in seipsum. Quin intentio Dei voluntates nostras transferentis non erat, ut Adam peccaret, sed ut sibi et posteris gratiam originalem obediendo conservaret.

*Inst. 3.* In hac sententia varia emergunt *absurda*. Nam 1. confunditur præceptum de non comedendo fructu cum pacto, cum tamen hæc quoad naturam et connotata differant. 2. Sequitur, animas contracturas originale peccatum, etiamsi post suam creationem non unirentur corpori. 3. Non explicatur illud Apostoli: *natura filii iræ*; quia deberet dici: pacto filii iræ, si non ideo peccaverimus in Adam, quia natura nostra fuit contenta in ejus lumbis.

R. *N. Ass.* Et quidem *ad 1<sup>am</sup>.* Distinctio se satis ostendit inter præceptum et pactum; nam alligatio nostrarum voluntatum ad voluntatem Adam fuit decretum Dei constituentis Adamum caput morale posterorum, ita ut, quod ipse faceret, censerentur etiam posteri moraliter et imputabiliter fecisse, et fuit etiam *virtuale pactum* cum Adamo de transfundenda justitia vel injustitia originali in posteros; præceptum vero fuit illa *lex*, quam Deus Adamo tum suo tum posterorum nomine servandam posuit.

*Ad 2<sup>am</sup>. N. seq.* Quamvis enim *naturalis* descensus ex Adamo, vel *seminalis* nostrum continentia in ejus lumbis non constituat juxta nos originale peccatum, tamen et ad illud et ad alligationem voluntatum nostrarum præsupponitur. Propter hunc enim descensum alligati sunt posteri voluntati Adam, et ut actualiter contractum dicatur hoc peccatum, vel anima per illud maculata, requiritur etiam existentia descendens ab Adamo. Ubi tamen omnino concedimus, si quorundam, qui non descensuri erant ex Adamo, voluntas illi alligata fuisset, hi nihilominus in Adamo fuissent peccaturi.

Ad 3<sup>um</sup>. N. Sumus enim natura filii iræ, quia nascimur odibiles Deo, et ex Adamo descendimus naturaliter, in cujus peccatricem voluntatem voluntates nostræ fuerant translatae.

101. Obj. II. Certum est in controversiâ S. AUGUSTINI cum Pelagianis circa existentiam peccati originalis potissimum horum argumentum pro neganda existentia fuisse, quod nos, tanquam necdum existentes, non poterimus peccare; ad hoc tamen argumentum solvendum S. AUG. nunquam recurrit ad pactum et translationem voluntatum, sed ad continentiam seminalem; ergo nec nos debemus.

R. 1<sup>o</sup>. N. Cons. Potuit enim L. 4. Op. imp. cont. Julian., ubi hoc argumentum proponebatur, S. AUG. non meminisse pacti, ne novis se difficultatibus inneceret, cum, licet hanc explicationem censeamus veram, eam tamen ab omni difficultate non esse immunem, ipsi jam fassi simus. Unde S. Doctor Juliano importunius inhaerenti recte reposuit L. 6. cont. Julian. c. 5. n. 11.: *Etsi nulla ratione indagetur, nullo sermone explicetur: verum tamen est quod antiquitus veraci fide catholica prædicatur et creditur per Ecclesiam totam; quæ filios fidelium nec exorcisaret, nec exsufflaret, si non eos de potestate tenebrarum, et a principe mortis erueret.* Et L. 3. de pecc. mer. et rem. cap. 4. *Etsi refellere istorum argumenta non valeam, video tamen inhaerendum esse eis, quæ in Scripturis sunt apertissima.*

R. 2<sup>o</sup>. N. m. quoad 1<sup>am</sup>. part. Meminit enim ejusdem etiam contra Pelagianos, ut monitum est num. 99. Idem insinuavit omnibus illis in locis, ubi peccatum originale voluntarium asseruit. 2<sup>am</sup>. part. D. Recurrit ad continentiam seminalem, excludendo per illam omne pactum N. constituendo illam tanquam fundamentum, quod etiam in nostra sententia tenet, ut nuper dictum C.

Inst. 1. S. AUG. L. 4. c. 104. Op. imp. sic respondet Juliano: *Secundum originem omnes in illo uno erant, et hi omnes unus ille erant, qui in se ipsis nulli adhuc erant. Secundum hanc originem seminalem etiam Levi... tunc decimatus ostenditur, non in seipso, sed in illo, in cujus fuit lumbis: nec voluit nec noluit decimari, quoniam nulla ejus voluntas erat... et tamen secundum rationem seminis, non mendaciter nec inaniter dictum est, quod ibi fuit et decimatus est.* Unde sic arguere licet: Eo modo in Adam fuerunt ejus posterii et peccarunt, quò Levitæ fuerunt in Abraham et decimati sunt, dum is Melchisedeche decimas dedit, ut dicitur ad Hebr. 7. v. 5.: atqui non ratione pacti alicujus, sed ratione solius seminis, et hinc ex natura rei, Levitæ in Abrahamo fuerunt, et propter hoc decimati dicuntur; ergo a pari.

R. D. M. Eo modo, quantum ad aliquid, fuerunt in Adam posterii ejus, quò in lumbis Abraham fuerunt Levitæ C. quantum ad omnia N. Scopus S. AUGUSTINI hic fuit ostendere, quomodo posterii fuerint in Adamo, et ad hoc affert exemplum de continentia seminali Levitarum in Abrahamo. An vero ex ipsa rei natura, vel ex eo præcise, quod quis ab altero participet naturam, quis peccet aut peccaverint posterii in Adam; an vero id moraliter contingat, supposita nempe illa seminali continentia, addendo adhuc pactum, nequidem tangit hic S. Doctor, nec, quia argumentum Juliani hoc nondum urgebat, tangere necesse habuit.

Inst. 2. Non requiritur major libertas ad decimandum, quam ad peccandum: sed ad libere decimandum sufficiebat *seminalis continentia* Levi in lumbis Abrahamæ, qui personaliter decimas dedit; ergo etc.

R. N. M. *Disparitas* inter decimationis et peccati imputationem est, quod decimari sit denominatio quædam *extrinseca* ad instar dignitatis vel infamiae a parentibus profectæ, quæ ab hominum opinione pendet: e contrario denominatio peccati est ab interno animæ statu, et *voluntariè* rationem sive physicam sive moralem exigit. Nihil a dictis diversum sensisse AUGUSTINUM patet ex loco Apostoli, unde expositionem sumpsit; hic enim PAULUS probandum sumpserat Sacerdotium *Melchisedechi* præstare sacerdotio *Aaronis* et Successorum: præcellentiam vero ostendit ex eo, quod sicut tribus Levi dignior cognoscitur reliquis Hebræorum tribubus ob decimarum pensum, sic dignior sit *Melchisedech*, cui pater ipse Levitarum Abrahamus decimas obfudit. Ad hanc itaque denominationem inferioris in posteros refundendam recte usurpatur continentia seminalis, et quantum ad hoc decimati Levitæ dicuntur; quantum vero ad libertatem decimationis pertinet, nec Apostolus, nec AUGUSTINUS, hic quidpiam edisserit.

Inst. 3. Juxta S. AUG. in Enchir. c. 26. et 48. aliisque in locis, ideo peccavimus originaliter, quia fuimus in illo uno, quando omnes ille unus corrupti: sed in tantum fuimus in illo uno, in quantum in eo erat *natura seminalis*, ex qua propagaremur; ergo in tantum peccavimus, in quantum fuimus seminaliter in lumbis Adæ. *Conf.* 1. S. TH. 1. 2. q. 81. a. 1. docet, quod eo modo nobis imputetur peccatum Adæ, quo modo manus homicidium a voluntate capitis commissum et imperatum: sed homicidium non imputatur manui ratione alicujus pacti aut unionis moralis, sed quia est membrum naturaliter unitum capiti; ergo. *Conf.* 2. Adamus ut caput naturale peccans, non sibi tantum sed et posteris nocuit; quia dum perdidit justitiam originalem, pro nobis etiam illam perdidit, qui naturam ejus originali justitia spoliata eramus accepturi: sed peccasse in Adamo aliud nihil dicit, quam peccatum illius nocuisse posteris; ergo.

R. D. M. Ideo peccavimus, quia in illo uno fuimus præcise naturaliter seu ex rei natura N. moraliter et in ordine ad observationem præcepti vel violationem C. Naturalis illa continentia sola non sufficiebat ad peccatum nobis imputandum, cum alias ex eodem capite alia etiam peccata commissemus, et in Adamo egissemus pœnitentiam; erat itaque duntaxat præsuppositum, cui insistit unio moralis et translatio voluntatum in ordine ad hoc peccatum.

*Ad Conf.* 1<sup>am</sup>. D. M. Ita ut comparatio præcise instituat in unione unius cum altero C. ut ponatur etiam in modo unionis, ita ut sicut unio manus cum capite est physica et naturalis, sic etiam unio posterorum cum Adamo sit duntaxat naturalis, et habeatur unice ex natura rei N.

*Ad Conf.* 2<sup>am</sup>. R. 1<sup>o</sup>. Similiter D. M. ut ad argumentum responsum est. Certe sicut ex ipsa rei natura non accepissemus *originalem justitiam*, si hæc tanquam personale privilegium data fuisset Adamo: sic non ex ipsa natura ea nunc privamur, eo quod præcise Adam illam perdidit; cum Deus eam nobis tanquam privilegium personale aut posteris naturale concedere potuisset.

R. 2<sup>o</sup>. *N. min.* Si enim per nocumentum intelligatur, ut solet, pœna duntaxat peccati, non vero ipsum peccatum, aperte contradicit CONC. ARAUS. II. Can. 2.

## ARTICULUS III.

IN QUONAM FORMALITER CONSISTAT PECCATUM ORIGINALE?

102. *Nota.* Peccatum originale passim a Theologis dividitur in originale originans et originale originatum. *Originans* actuale est illa actio Adami peccaminosa physice in paradiso posita: habituale est eadem actio moraliter perseverans in ordine ad reatum culpæ. *Originatum* actuale est illud peccatum in instanti conceptionis seu infusionis animæ actualiter contractum a posteris: habituale est idem in sequentibus instantibus perseverans moraliter. Ubi præterea advertendum, non ob stare, quod peccatum *originatum* dicatur effectus aliquis peccati personalis Adami; quamvis enim illud ut moraliter nostrum includatur ab originali originato, tamen hoc illius effectus dici potest ex eo, quod actio personalis Adami sit ratio et causa actionis malæ, quæ moraliter est posterorum; quatenus, si Adam non peccasset, neque posteris eodem peccato peccassent. De originante satis dictum; nunc de originato dicendum.

103. *Dico.* Peccatum originale est ipsum Adæ peccatum physice præteritum, prout a posteris in illo moraliter commissum, et moraliter perseverans in reatu seu debito sustinendi odium inimicitiae divinæ.

*Pars 1<sup>a</sup>. prob.* Ex art. priore. *Conf.* Peccatum originale habet *veram et propriam rationem peccati*, ut expresse supponit TRID. Sess. 5. num. 5., et est ita commune, ut tamen sit *unicuique proprium*; ut idem Conc. loc. c. num. 3. asserit: sed neutrum dici potest, nisi originale dicatur peccatum Adæ physice præteritum, prout a posteris in illo moraliter commissum; ergo.

*Pars 2<sup>a</sup>. prob.* Ex dictis n. 66. de peccato habituali mortali, cujus species aliqua est originale. *Conf.* In illo moraliter perseverat peccatum originale, quod per Christi gratiam in baptismo collatam remittitur. Sed hoc est reatus, et quidem culpæ, seu debitum sustinendi odium, ut patet ex TRIDENT. I. c. *Si quis per J. C. D. N. gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet... anathema sit.*

104. *Obj. I.* Peccatum originale non est mera imputatio extrinseca inobedientiæ Adami: sed in nostra sententia nihil aliud foret, cum esset tantum moraliter commissum, et in æstimatione Dei extrinseca et hominum consisteret; ergo. *Conf. 1.* Actus peccaminosus ab Adamo elicitus est ejus posteris extrinsecus: peccatum originale est posteris intrinsecum, quia, ex TRID. unicuique proprium; ergo. *Conf. 2.* Peccatum Adami est quid præteritum: originale est aliquid posteris natis præsens; ergo originale nequit esse peccatum Adæ. *Conf. 3.* Peccatum fuit Adæ remissum, neque moraliter amplius perseverat; ergo.

R. *N. m. Rationis 2<sup>am</sup>. part. D.* consistit in extrinseca Dei et hominum æstimatione subjective *N.* terminative solum vel objective *C.* subjective consistit in peccato moraliter proprio et condignitate morali ad sustinendum odium, posteris moraliter intrinseca.

*Ad Conf. 1<sup>am</sup>. D. M.* Est physice et entitative extrinsecus posteris *C.* moraliter et imputative aut interpretative *N.* Cum propter transfusionem moralem voluntatum peccatum Adami fuerit etiam a posteris moraliter commissum, et per reatum culpæ contrahatur ab illis ad proprium suppositum, recte etiam posteris moraliter intrinsecum dicitur.

*Ad Conf. 2<sup>am</sup>. D. M.* Peccatum Adæ est quid physice præteritum *C.* moraliter præteritum *subd.* respectu ipsius Adami, cui scilicet est remissum *C.* respectu posterorum, quibus si per baptismum necdum remissum est, adhuc moraliter perseverat *N.* Ex quo patet responsio.

*Ad Conf. 3<sup>am</sup>.* Quia Adamo per penitentiam fuit remissum peccatum, quatenus fuit illi personale, non autem quatenus fuit peccatum originale per ipsum a posteris commissum.

*Inst.* Ad reatum pœnæ requiritur culpa *absoluta*, et non tantum conditionate prævisa; ut certum est contra *Semipelagianos*: Ergo etiam ad reatum culpæ requiritur consensus absolutus. Atqui posteris in peccatum Adami nunquam consenserunt absolute; ergo. *Conf.* Nihil est culpa propria, nisi quod est voluntarium voluntate propria: atqui nec pactum cum Adamo, nec peccatum Adami fuit posteris voluntarium voluntate propria; ergo.

R. *D. min. subs.* Posteris nunquam in peccatum Adæ absolute consenserunt consensu physico et immediato *C.* consensu morali et mediato capitis *N.* Ad culpam *personalem* requiritur quidem consensus physicus et personalis, ad *originalem* autem moralem et imputativum sufficit; hic vero fuit in posteris absolutus, quia posterorum voluntates in Adamo absolute translate sunt, et hic absolute non suo tantum, sed et posterorum suorum nomine consensit.

*Ad Conf. D. M.* Nihil est culpa propria personalis, nisi etc. *C.* nihil est culpa propria originalis *subd.* nisi sit voluntarium voluntate physice propria *N.* voluntate moraliter propria *C.* Responsio liquet ex hæcenus dictis.

105. *Obj. II.* Meritum Adami non fuisset moraliter nobis proprium, sicut nec ejus penitentia nobis fuit moraliter propria; ergo nec ejus peccatum est nobis proprium. *Conf.* Christus supplevit id quod præstitisset Adam, si loco peccati bene egisset: sed meritum Christi non est nobis proprium; ergo nec fuisset meritum Adæ.

R. *N. A. et paritatem.* Ratio habetur ex libera dispositione Dei, pactum de primo, non autem de altero facientis, quæ nobis ex Scriptura et Patribus constat.

*Ad Conf. D. M.* Christus eodem modo supplevit id, quod præstitisset Adam etc. *N.* diverso modo *C.* Alio nempe modo Christus fuit caput morale generis humani, quam Adamus. Licet enim is pro omnibus nobis satisfactionem præstiterit, hæc tamen satisfactio non est in *actu secundo* nostra moraliter, nisi applicetur nobis per voluntariam regenerationem in baptismo, aut Sacramenta alia vel actus; unde constat, voluntates nostras non fuisse moraliter transfusas in voluntatem Christi, ut in voluntatem Adami. Hujus